



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Monvmenta Paderbornensia**

**Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>**

**Paderbornae, 1669**

5. Hic Designatam Fato Meliore Cathedram.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11425**

nia residens, ibi & natalem Domini & Pascha celebravit. Item Vita Caroli M. apud Pithæum. Illuc venerunt legati Avarrorum cum muneribus multis. Inde Abdellam Sarracenum cum filio suo Ludovico in Hispaniam reverti fecit, & filium suum Pipinum ad Italiam misit: ipse ad disponendam Saxoniam totum hiemis tempus impendit, & ibi natale Domini, & Pascha celebravit. Venit autem ad eum legatus Adefonsi regis Gallicia & Asturie nomine Froja, presentans papilionem mira pulchritudinis. In ipso quoque Pascha tempore Nortluidi trans Albiam sedentes, seditione commota, legatos ejus, qui ad justitias faciendas apud eos conversabantur, quosdam occiderunt, quosdam ad redimendum reservarunt: ex quibus aliqui fugerunt, ceteri redempti sunt. Rex Carolus collecto exercitu de Heristelli ad locum, qui dicitur Minda, perrexit, & contra desertores inter Albim & VVisoram peragravit totam Saxoniam. Nortluidi, cum Trascione duce Abodritorum, & Eburiso legato Domni regis commisso praelio, victi sunt, & casti ex eis quatuor millia, ceteri qui evaserunt, de pacis conditione tractaverunt. Vid. Adelnum ad An. 797. Poëtam Anonymum. Reginonem, aliòsque.

5. HIC DESIGNATAM FATO MELIORE CATHEDRAM. Designatæ hic sedis Episcopalis nullum antiquiorem testem habemus Henrico de Hervordia, & auctore Chronici Mindensis ab Henrico Meibomio editi, qui unde hoc acceperint, ignoramus. Quod si autem vera est ipsorum sententia, necessariò hanc foundationem, post Ecclesiam primò Paderbornæ conditam, & ob incolarum loci perfidiam, & odium in religionem Christianam, ut scriptor vitæ Liborianæ apud Bollandum cap. 2. refert, aliquoties igni traditam, contigisse crediderim. Certè exiguo hic tempore



tempore Cathedralis Ecclesia hæsit, ad primum locum antè reversa, quàm An. 799. *Leo III. Pontif. Max. religiosum Caroli ac salutare Christianitatis dilatanda studium nobiliter inchoatum, Apostolica auctoritate firmavit, atque in Ecclesia tunc Paderborna noviter constructa quoddam altare consecrans, adorandas in eo reliquias protomartyris Stephani, quas secum Roma detulerat, collocavit.* Vita S. Liborij l. c. Hermannus Kerf-  
senbrochius in catalogo Episcop. Paderborn. Verum enim verò *Heristalli* ingentia murorum rudera, Patribus Franciscanis in monte domicilij sui fundamenta, hortique planitiem molientibus, sub terra deprehensa, amplum sanè ædificium hic designatum fuisse commonstrant.

6. CERTAT HERISTALLI GLORIA SAXONICI. Complura rerum gestarum monumenta *Heristallum Saxonicum* præ *Francico* illustrent, Caroli M. castra & hiberna, Pipini & Ludovici filiorum ejus congressus, Hunnorum & Asturiæ Galleciæque regum legationes & munera, Cathedralis Ecclesiæ dignitas, atque hinc suscepta in Saxones Transalbianos fausta expeditio. Nostrâ memoriâ Anno 1632. mense Octob. *Heristalli* arcem finibus suis imminentem Hassi vastarunt, ac demum An. 1637. mense Martio incenderunt. Pari in hunc locum clementia jam olim usi, An. 1465. D. Christinæ sacro die, ut vetus habet inscriptio, *Hissones urbem Herstelle cum villa devastarunt atque cremarunt.* Nobilis porrò *Falckenbergiorum* familia *Heristallum* diu possedit, & Henricus Dux Saxonie repigneravit quidem, sed litibus inde exortis, ac demum compositis, Theodorus Furstenbergius Episcopus & Princeps Paderbornensis à *Falckenbergijs* aliisque creditoribus, præsentî pecunia

Q5

17666.